

Versus de passione sancti Adalberti

(J. Emler, FRB I, 313-314)

I. Quatuor immensi iacet inter climata mundi
Terra potens magne quondam Germania fame,
In cuius parte locus est non ultimus arte,
Natura strictus, Bohemia nomine dictus,
Armis atque uiris et rebus diues opimis,
Sed nimium uanis gens est ea dedita sacris,
Huius pars magna variis erroribus acta,
Factorem spernit, facture perfida seruit.
Nam colit hic latices, colit hic uel saxa, uel ignes,
Nec non et multi sacro baptismate loti,
Nomine Cristicole, sed in actibus ydolatite,
Ritu gentili uiuunt a lege soluti.
Res quibus est lucri, fuerit que causa perichi,
Sed tamen haud pauci, qui plus sunt mente capaci,
Ex illa gente pro spe¹⁾, uitaque perhenne,
Quod precepta iubent, factis et moribus implent.
Hos inter solus Zlaunicus²⁾ nomine dictus
Hac fuit in parte fidei, qua floruit, alme
Religio munda, nec factis contaminata,
Uir bonus et prudens, uitam sine crimine ducens,
Dulcis³⁾ in aspectu, rerum discretus in actu,
Simplex et mitis, perrarus stemmate ciuis,
Preditus⁴⁾ argento, precioso diues et auro,
Inter opes fidus, diuine legis amicus,
Seruator iusti, celestis cultor honesti;
Tamque⁵⁾ potens genere, proprio quam clarus honore,
Spes miseris tuta, sed plebis firma columna
Iudicioque pium dampnatis uixit⁶⁾ asilum.
Felix felicem qui duxerat et mulierem,
Moribus et genere, cui⁷⁾ nec cessisset honore,
Cristi preceptis nam pectoris aure receptis.
Non explere famem, nec sciuit ponere finem,
Nec in matrone delectabatur amore,
Gemmae, argentum, pompas nam⁸⁾ duxit et aurum
Stercore pro vili, que ducunt optima stulti,
Et dapibus pasta modicis, et corpore casta;
Mater erat miseris, pes claudis, semita cecis,
Ciuiibus in⁹⁾ cunctis ambo pro talibus actis
Viuebant clari, Cristoque per omnia cari.

II. Ergo tempus erat, quo proles sancta decebat
Nasci, digna suis, maiorque parentibus ipsis.
Et puer extemplo¹⁾ materna funditur aluo
Candidus et talos a uertice pulcher ad imos,
Quem post in lauacro tinctum baptismate sacro
Nomine gaudentes Woythiech²⁾ dixere parentes,
Noscere quem posset sapiens, tum si quis adesset,
Qualis uel quantus fuerit quandoque futurus.